



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. VI. In quo medio Deus peccata futura cognoscat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

**D**isq. 6  
art. 7.  
§. 2.

tio necessitans, & orta ex causis naturalibus, & necessariis: sicut Solem oriri necessarium est, quo exemplo ipsenit utitur. Ino Sylvius in opusculo de primo motore, & Doctores Lovanienses in justificatione Cenitiae, affirmant hanc propositionem. *Quidquid ex intemporebili per necessarium consequentiam sequitur, hoc intemporebile est; & necessarium, quam olim docebat quidam Petrus de Rivo, Philosophiae in Universitate Lovaniensi Professor, fuisse a Xisto IV. anno 1476. tanquam erroneam damnatam, & proscriptam. De quo rursus in Tractatu de Prædestinatione.*

**R**espondeo secundò, D. Thomam (suppresso Anselmi nomine) hoc idem argumentum, illud ferè terminus sibi proponere i. p. quast. 19. art. 8. ubi tertio loco sibi obicit. *Illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute: Sed res creata à Deo, comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius à quo habent necessitatem: sequitur ergo quod omne quod Deus vult, sit necessarium absolute. Cui argumento sic responderet: Ad tertium dicendum, quod posteriora habent necessitatem à prioribus, secundum modum priorum: unde & ea que sunt à voluntate divina, talera necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere; scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum; & si non omnia sunt necessaria absolute. Quibus verbis significat, quod quamvis decretum voluntatis divinae, in quo fundatur præscientia futurorum, antecedat actus nostros liberos, prioritate naturae, & causalitatis; non tamen destruit eorum libertatem, nec ullam in eo inducit necessitatem, nisi infallibilitatis & consequentie, que libertati non præjudicat: *Quia* (inquit) *posteriora habent necessitatem à prioribus, secundum modum priorum, & qualem priora volunt ea habere: divina autem voluntas, qua ratione sua infinita efficacia, est prima radix libertatis & contingentie rerum, non vult nostros actus liberos quos prædefinit, aliam habere necessitatem, quam infallibilitatis, & consequentia. Videri etiam potest S. Doctor i. Periherm. lec. 14. & quast. 23. de Verit. art. 5. ad 1. ubi idem argumentum, quod est palmarium apud Adversarios, sibi opponit, & alio modo dissolvit.**

**R**espondeo tertio, distinguendo illam propositionem: Omnis suppositio antecedens, quæ non oritur ex nostra libertate, vel ex radice & principio illius, eam tollit: concedo. Si oriatur a nostra libertate, vel ab ejus principio, & radice: nego. Suppositio autem decreti prædeterminantis, in quo fundatur præscientia futurorum, licet non procedat ab ipsa libertate, & electione voluntatis humanae, oritur tamen ab ejus primo principio, primaque veluti radice, efficaciam scilicet divinæ voluntatis, que ut docet D. Thomas locis supra citatis, est primum principium, primaque veluti radix libertatis, & contingentie rerum. Addo quod Deus, ut dicit Augustinus de corrept. & gratia cap. 14. magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi homines: unde si suppositio, quæ defecit ex potestate, & dominio nostra voluntatis, non tollit ejus libertatem; à fortiori, necilla quæ defecit à Deo, tanquam à primo libero, & supremo Domino nostrarum voluntatum. Addo etiam, quod D. Thomas 3. contra Gent. cap. 88. & aliis in locis alibi referendis, docet. Deum non debere considerari, tanquam aliquod agens ex-

A trinsecum respectu nostra voluntatis; eo modo quo alia agentia creata, sed potius ut intimè illi conjunctum, tanquam author & principium ejus libertatis: unde sicut suppositio quæ oritur ab indifferenti judicio rationis, quamvis antecedat electionem nostræ voluntatis, non tollit tamen ejus libertatem, quia oritur ex aliqua potentia homini intrinseca, scilicet intellectu: ita similiter, quamvis suppositio divini decreti, & motionis illius, antecedat actus nostros liberos, prioritate naturae, & causalitatis, non lœdit tamen earum libertatem, quia similiter oritur ab aliquo principio intrinseco, scilicet Deo, qui nobis intimior est, quam nos ipsi, & qui est veluti anima nostra animæ: *In ipso enim vivimus, & monemur, & sumus;* ut dicitur Act. 18. Sed de hoc plura in Tractatu de Prædestinatione, ubi concordiam libertatis nostræ, cum divinis decretis & prædefinitionibus fuscè exponemus. **D**isq. 6  
art. 7.  
§. 2.

## ARTICVLVS VI.

*In quo medio Deus peccata futura cognoscat?*

§. I.

*Præmittenda ad resolutionem difficultatis.*

**C**ontandum primò, peccatum duo importare, unum de materiali, entitatem scilicet physicam, & positivam actus mali, & peccaminos; & aliud de formalí, ipsam nempe malitiam, & deformitatem, seu deviationem à regulis morum; sive in solo privativo, sive in positivo, ut connotante privationem consistat: de quo in Tractatu de Peccatis,

**N**otandum secundo, duplex esse decretum in Deo: Unum positivum, quod decernit positivè concurre ad entitatem cuiuscumque actionis, sive bona, sive mala; aliud permisivum, quod statuit permittere malitiam peccati, & denegare auxilium speciale ad illam evitandam; de ratione enim universalis provisoris est, permittere aliquos defectus, tam in ordine morali, quam naturali, ut inde magis reluceat pulchritudo universi, & manifestetur ordo suæ iustitiae. Unde Augustinus in Enchir. cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Quibus verbis, utrumque decretum, permisivum scilicet & positivum clare expressit. Et D. Thomas in hac quastione art. 9. ad 3. *Illa solum sunt futura, quæ Deus permittit esse, vel vult esse.* Ubi per permissionem tangit peccata, quæ Deus permittit, & non vult: per volitionem vero, significat bona quæ Deus non solum permittit, sed etiam vult, & approbat, atque positivè decernit.

**N**otandum tertio, quod aliud est dicere, liberum arbitrium creatum, esse defectibile ex natura sua, & aliud, ipsum ex se, & ex sua natura, esse determinatum ad malum. Illud enim est veritas Catholica; hoc autem est error etiam contra lumen naturale. Illud possibiliter dicit deficiendi à fine, & à lege Dei: quia facultas liberi arbitrij, non est ipsa regula suarum actionum; hoc autem refert determinationem ad malum, in Authorem naturæ, qui liberum arbitrium prodixit; quæ est Manichæorum heresis. Illud, ut sèpè docent SS. Augustinus, &

Thomas, competit libero arbitrio, quia est productum ex nihilo: hoc autem inclinationi naturali ejusdem liberi arbitrij repugnat; nam semper tendit ad bonum, verum, vel apparet; cum malum, sub ratione mali, etiam dum peccat, velle non possit.

187. Notandum quartò, duobus modis unum posse consequi infallibiliter ad aliud. Primo confutatione physica, seu causalitatis: sicut proprietates consequuntur ad essentiam, & quilibet effectus ad suam causam. Secundo confutatione logicā, seu illationis; quando scilicet ex positio-ne unius, aliud recte infertur; quamvis non sit ejus causa, nec physice influat in ejus productio-nem. Hoc modo ex remotione columnæ, sequitur casus lapidis, qui ab illa sustentatur, & ex remotione falso, corruptio carnium; quia licet causa per se descensus lapidis, non sit remoto columnæ, sed ejus gravitas: sicut nec subtrahit falso, causa per se corruptionis carnium, sed mixtio & pugna quatuor primarum qualitatum; consequitur tamen infallibiliter ad illam, tan-quam ad removens prohibens.

### §. II.

#### *Resolutio difficultatis proposita.*

Ico igitur, Peccata futura, quantum ad id quod in illis privationis est, & defectus, seu malitia moralis, à Deo cognosci, in decreto permisivo. Quantum vero, ad id quod in eis est entitatis, & bonitatis transcendentalis; cognosci in decreto positivo concurrendi ad illorum entitatem. Demum quantum ad utramque rationem, clare ab illo videri, in praesentia sue aeternitatis. Ita communiter docent nostra Thomistæ, & alij scientiae mediae impugnatores.

188. Probatur prima pars ratione fundamentali. Illud quod habet infallibilem connexionem cum alio, potest in illo certe cognosci, ut constat ex supra dictis: At illud quod in peccato privationis est & defectus, habet infallibilem nexus, cum decreto permisivo; sicut & illud quod in illo est entitatis, & bonitatis transcendentalis, infallibiliter connectitur cum decreto concurrendi positivè ad entitatem actus mali & peccaminis: Ergo peccata futura, quantum ad id quod in illis est privationis & defectus, seu malitia moralis, à Deo cognoscuntur in decreto permisivo: quantum vero ad id quod in eis est entitatis & bonitatis transcendentalis, videntur ab illo in decreto positivo. Major patet, Minor etiam quantum ad secundam partem, est certa; cum enim decretum, quo Deus statuit positive influere in entitatem physicam actuum malorum, sit causa illius, cum ea habet infallibilem nexus, talisque entitas ad illud consequitur, non solum confutatione logicā, & illationis; sed etiam confutatione physica, & causalitatis, sicut quilibet effectus consequitur ad suam causam; cum enim illa sit bona transcendentaliter, non potest subterfugere divinam causalitatem. Unde Anselmus in libro de præscientia & libero arbitrio cap. 10. *Audacia est dicere aliquod esse ens, quod non sit ab ente primo.* Probatur vero quantum ad primam, in qua præcipue consistit difficultas hujus questionis. Decretum permisivum, est decretum non impediendi peccatum, & denegandi auxilium speciale ad illud evitandum, ut exposuimus in secundo notabiliter: Sed malitia & deformitas peccati, ad talem

A auxilij denegationem infallibiliter consequitur, non quidem consecutione physica, & causalitatis, sed consecutione logica, & illationis: Ergo quod in peccato privationis est & defectus, habet infallibilem nexus cum decreto permisivo. Minor probatur: Licet enim tale decretum denegandi auxilium efficax, non sit radix & causa peccati, sed ipsa defectibilitas, & malitia voluntatis humanae: habet tamen infallibilem cum eo connectionem: nam sicut ex suspensione divini concursus, quantum ad esse, sequitur annihilatione creaturæ; ita ex permissione peccandi, & suspensione concursus gratiae, & auxilij efficacis, sequitur infallibiliter peccatum, & defectus in operando; non per modum influentia, sed per modum remotionis causæ prohibientis: eo ferè modo, quod ex remotione falso, sequitur corruptio carnium, & ex remotione columnæ, casus lapidis, qui ab illa sustentatur.

B Ratio autem fundamentalis hujus veritatis & doctrinae, ex Tractatu de gratia sumenda est. Docent enim Theologi cum S. Thoma quest. 24. de Verit. art. 14. hominem in statu naturæ lapsæ, nullum posse facere bonum arduum, nec vincere gravem tentationem, sine speciali auxilio gratiae roborantis ipsam naturam infirmam, & peccato originali fauciataam, ac debilitatam; unde cum vitare peccatum, & vincere gravem tentationem, quæ homo movetur, & incitatatur ad illud, vel à diabolo, vel à concupiscentia, sit aliquod bonum arduum & difficile; non potest homo illud praestare, sine speciali auxilio gratiae; non potest, inquam, potentia consequenti, & quæ sit conjuncta cum actu, licet ratione auxiliorum communium, & gratiae sufficientis ( quam, ut suppono, Deus nūmī unquam denegat, nisi ei impedimentum ponat ) id possit, potentia antecedenti, & puræ possibilis. Quare si Deus ex inscrutabili iudicio sua justitia, interdum nobis aperto, interdum nobis occulto, semper tamen iusto ( ut cum Augustino loquar ) decernat denegare homini, tale auxilium efficax ad vincendam tentationem, & eliciendum actum v. g. fidei, spei, vel charitatis, ad quem ex præcepto tenetur, illique præbeat concursum necessarium ad operandam, quem in ratione cause prima, & universalis provisoris, tenetur concedere ad omnes actus, sive bonos, sive malos ( qui cursus secundum doctrinam Thomistarum, non solum debet esse simultaneus, & concomitans; sed etiam prævitis, & applicans causas secundas ad operandum ) infallibiliter peccabit, & operabitur actum malum, & recte rationi, ac legi divinæ difformem. Operabitur quidem, ex vi divini concursus, & motionis illum applicantis ad agendum, & ad producendum in suis actibus rationem entis, & actualitatem existentiae, & operationis, qui sunt effectus per se primò correspondentes enti per essentiam, ac prima & universalissima causa. Peccabit vero ex propria malitia, & defectibilitate, per quam se substrahet à rectitudine divini concursus, & conformitatis cum lege: peccare enim, ut dicit Augustinus, non est efficere, sed deficere. Licet enim, supposita denegatione auxilij efficacis ad actum fidei, vel charitatis, ad quem homo tenetur ( ut supponimus ) ratione auxilij sufficientis possit actum charitatis elicere, & resistere tentationi in actum contrarium inclinati: ex propria tamen malitia, & defectibilitate infallibiliter tentationi succumbet, & peccabit, non eliciendo

## DE SCIENTIA FUTVRORVM CONTINGENTIVM. 253

**A**ctuendo auctum charitatis ad quem tenetur, sed alium cum eo incompollibilem: suppono enim ex Tractatu de peccatis, non dari omissionem culpabilem, absque aliquo actu, eam antecedente, vel concomitante.

**190.** Confirmatur: Deus certò scit, quod si non conservaret creaturam in suo esse, statim redigeretur in nihilum; quoniam creatura seipsum conservare non potest, Creatore suo illum non conservat. Juxta illud Prophetæ Psal. 103, Avertente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulvrem suum revertentur. Ergo etiam scit, quod si ipse non conservet hominem in bono rationis, per aliquod auxilium speciale, ipsum præservans a peccato, homo ipse non conservabit se, sed infallibiliter peccabit: Ergo in decreto quod statuit non dare auxilium illud speciale, tali tempore, & loco quod homo tenetur bonum operari, & à tali vel tali peccato abstinere; certò scit, quod homo infallibiliter peccabit, ac deficiet à rectitudine rationis. Quare dicitur Psal. 80. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adiventionibus suis. Quibus verbis significatur, Deo deserente peccatorem, per denegationem auxilij speciales, quod illi concedere non tenet, illum infallibiliter peccatum. Et in Concilio Araul. 2. cap. 19. sic dicitur: Natura humana, etiam si in illa integrata in qua est condita permaneat, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Et Innocentius Papa Epist. 25. ad Concilium Carthag. Quotidiana præstat ille remedium, quibus nisi freti confisque nitamus, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim ut quod auxiliante vincimus, eodem iterum non adjuvante vincamur. Quod nihil clarius dici potuit in favorem nostræ sententiae. Denique D. Augustinus sèpe repetit, quod liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.

**191.** Secunda pars conclusionis, quæ asserit Deum supposito decreto permittendi malitiam peccati, & positivè concurrendi ad illius entitatem, videre & contemplari omnia peccata futura, ut præsenta in mensura sua æternitatis, constabit ex dicendis articulo sequenti; ubi ostendimus, omnia que futura sunt in aliqua differentia temporis, esse Deo præsenta in sua æternitate, non solum obiectivè, & intentionali-ter, ratione divinæ præscientia, quæ illa ab æterno cognoscit; sed etiam realiter & physice, ratione sua æternitatis, quæ propter suam infinitatem, ad omnia præsenta, præterita, & futura se extendit, eaque finu suo vastissimo complectitur.

### §. III.

#### Solutio objectionum.

**192.** Objiciunt in primis Recentiores. Ut aliquid habeat rationem medij ducentis in cognitionem alterius, debet habere certam, & infallibilem cum eo connexionem: Sed decretum permisivum, non habet certam & infallibilem connexionem cum peccatis futuris: Ergo in eo tanquam in medio, non potest Deus illa certò præscire. Major pater, Minor probatur. Decretum permisivum duo importat, scilicet propositum non impediendi peccatum, in quo inclu-

**A**ditur suspensio auxilij efficacis ad resistendum gravi tentationi, vel ad faciendum actu virtutis oppositum; & propositum concurrendi ad entitatem peccati, & dandi ex parte cause prima, omnia quæ sunt necessaria causa secunda ad agendum: Sed decretum permisivum, ut hæc duo importat, non habet infallibilem connexionem cum futurione peccati: Ergo illud cum peccatis futuris, infallibilem connexionem non habet. Major constat, Minor quantum ad utramque partem probatur. In primis enim decretum permisivum non potest habere infallibilem connexionem cum peccatis futuris, ratione suspensionis & denegationis auxilij speciales, alias sequentur, quod voluntas sibi ipsi relata, cum solo concurso generali, esset ex se determinata ad malum, quod est Manicheorum & Lutheranorum heresis; sequeretur etiam, quod voluntas humana, cum solo concurso generali, non posset operari aliquod opus morale bonum, quod est contra D. Thomam, & communem Discipulorum ejus sententiam. Probatur etiam quantum ad secundam partem. Si enim Deus haberet propositum, seu decretum prædeterminandi voluntatem creatam ad materiale peccati, sive ad actu qui hic & nunc non potest exerceri sine malitia, esset causa peccati: qui enim vult & causat aliquid, à quo malitia ita inseparabilis est, ut non possit ponи sine illa, eam consequenter vult, & causat: sicut qui producit essentiam, causat proprietates, quæ cum ipsa connectuntur, & ad illam sequuntur infallibiliter.

**193.** Confirmatur: Ille qui removet columnam, à qua sustentatur lapis, vel qui subtrahit saltem, quod carnes conservantur, censetur esse causa saltem moralis & indirecta casus lapidis, & corruptionis carnium: Ergo similiter, si Deus subtrahat homini auxilium efficax, ex cuius denegatione sequitur infallibiliter peccatum, & defectus in operando; erit causa, saltem moralis & indirecta, actus mali & peccaminosi.

**194.** Confirmatur amplius: Si affirmatio sit causa affirmationis, negatio erit causa negationis: Sed collatio gratiæ efficacis, est causa conservans hominem in bono rationis, & illum præservans à peccato: Ergo ejus subtractione, vel denegatio, erit causa peccati, & deviationis à recta ratione.

Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad cuius probationem, nego similiter Minorem, quantum ad utramque partem. Ut enim suprà ostendimus, decretum permisivum, quatenus importat propositum denegandi auxilium efficax ad vincendam tentationem, & vitandum peccatum, habet infallibilem connexionem cum malitia, & deformitate peccati, quæ ad talen denegationem infallibiliter consequitur: non consecutio ne physice, & causalitatis, sed consecutio logica & illationis, ut suprà exposuimus. Similiter propositum concurrendi ad entitatem peccati, & dandi causa secunda omnia quæ sunt necessaria ad agendum, ac proinde applicationem ad actu, quatenus ens & actus est, habet infallibilem nexus cum entitate, & actualitate actus mali, & peccaminosi, quæ à tali motione, & applicatione causatur, & quæ per se primò reducitur in ens per essentiam, & in actu pulrum, tanquam in primam causam: ut docet D.

Kx

Thomas in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. his verbis: *Sententia que docet actus peccatorum, nullo modo, nec etiam in quantum actus sunt, à Deo esse, propinquissima est errori duplici.* Et Albertus magnus ibidem dist. 35. art. 7. relatâ opinione quorundam Theologorum sui temporis, qui existimabant actus malos, etiam in quantum actus, & entia, non esse à Deo, ut à prima causa efficiente, subdit. *Hac opinio qua obtinuerat plures antiquorum, ferè cessit ab aula,* & à multis modernorum reputatur heretica. Et addit: *Cum actus malus sit simpliciter actus, egrediens à potentia activa, perfecta secundum naturam, non egreditur ab ea, nisi secundum quod moveatur à causa prima, alioquin sequeretur duo esse prima principia.* Quibus verbis clarissime docet, Deum mouere & applicare causam secundam, ad producendam entitatem & actualitatem, quae in actibus malis reperitur imbibita; & oppositam sententiam, tanquam Manichaorum errorem, reprobat & proscribit. Item Dominicus Soto in libris de Natura & Gratia, in ipso Tridentino editis, & à Legatis ejusdem Concilij approbatis, libro 1. cap. 18. sic habet. *Haud quidem diffidentur Theologi, entitatis ( ita vocant) qua est peccatum, Deum esse causam, eo efficientie genere, quo cuncta animantia & inanimata ad suas actiones naturales permoveantur.* Quibus verbis, non solum aperte docet Deum præmovere ad materiale peccati; sed etiam hanc fuisse, eo tempore quô scribebat, concordem & unanimem Theologorum sententiam, disertè profitetur.

196. Ad probationem ergo prima partis Minoris, nego utramque sequelam: licet enim, si Deus homini deneget auxilium efficax, vel speciale, ad vincendam tentationem; infallibiliter illi consentiat, & incidat in peccatum; non sequetur tamen, liberum ejus arbitrium esse ex se & ex sua natura, determinatum ad malum, & ad peccatum. Tum quia tunc ratione auxilij sufficientis, potest bene operari, & vitare peccatum. Tum etiam, quia ( ut supra annotavimus) aliud est, liberum arbitrium esse defectibile ex se, & ex sua natura, & non posse seipsum conservare in bono rationis, Deo illum specialiter non conservante; & aliud, illud ex se & ex sua natura esse determinatum ad malum. Primum enim dicit solam defectibilitatem, & potentiam ad peccandum, quæ competit creaturæ rationali, ex eo quod est ex nihilo, & quia non est ipsa suarum operationum. Secundum verò importat in libero arbitrio naturalem determinationem ad malum, & ad peccatum, provenientem ab autore naturæ, vel à peccato primi parentis. Quæ est heres Manichaorum, & Lutherorum, in Concilio Tridentino proscripta. Item ex eo quod ad denegationem auxilij efficacis ad resistendum gravi tentationi, sequatur infallibiliter consensus in peccatum, non recte inferatur, voluntatem humanam cum solo concursu generali non posse elicere aliquod opus honestum & moraliter bonum, v. g. colere parentes, prudenter gubernarerem publicam, &c. ut enim hos aut similes actus exercere possit, non requiritur quod sine gratia, vel auxilio speciali ordinis naturalis, possit graves tentationes contra præcepta naturalia vel supernaturalia vincere; sed sufficit quod leves tentationes contra præcepta naturalia valeat superare: hoc

A autem homo, eriam in statu naturæ lapsæ, potest præstare sine gratia, seu auxilio speciali, cum solo generali Dei concursu, ut docent nostri Thomistæ in Tractatu de gratia.

Ad probationem secundæ partis ejusdem Minoris, in qua inferitur, quod Deus esset causa, & author peccati, si prædeterminaret hominem ad materiale illius, ad quod infallibiliter sequitur ipsa malitia, & deformitas. In primis dico, illam sequelam esse Pelagij, & Juliani, qui eodem discutunt, & argumento olim utebantur, ad probandum in parvulis non esse peccatum originale, sic enim arguebat præcipue Julianus. Deus est causa generationis hominis:

197. Ergo si peccatum originale consequitur ad talē generationem, Deus erit causa peccati originalis; qui enim est causa alicuius, est etiam causa ejus, quod consequitur ad illud. Cui argumento respondet S. Augustinus libro 3. contra eundem Julianum cap. 9. quod peccatum originale, non sequitur ad generationem, ut generatio hominis est, & secundum suam naturam; sed ut dicit ordinem ad primum parentem, qui voluntariè peccavit: etenim si Adam perseverasset in statu innocentiae, fuisset vera generatio hominis, absque eo quod ex illa sequeretur peccatum originale. Et ita tale peccatum non est à Deo concurrente ad hominis generationem, sed à primo parente, qui totam naturam humanam, suā inobedientiā maculavit. Idem etiam nos proportionaliter dicimus de peccato actuali, quod scilicet ejus deformitas & malitia moralis, non sequitur intrinsece, & ex natura rei, ad actum v. g. blasphemiam, ut actus est, & ut habet rationem entis, & beatitudinem transcendentalē ( sub qua solum ratione est à Deo prædeterminante) sed ut procedit à voluntate creata, operante difformiter ad regulas morum. Unde in ipsam voluntatem deficientem, & non in Deum efficientem, debet refundi malitia moralis & defectus peccati. Solutio est Sancti Thomæ quæstione 3. de malo, articulo 2. ad 2. Et in 2. sent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. ad 2. quam prosequitur Capreolus ibidem art. 3.

Explicatur & illustratur hæc responsio & doctrina, triplici exemplo aptissimo. Primum sumitur ex D. Thoma locis citatis. Licet enim motus claudicationis procedat ab anima, tanquam à principio vitali, non solum simultaneo concurrente, sed etiam movente, & applicante tibiam; defectus tamen obliquitatis qui in illo contingit, non reducitur in animam moventem, & vitaliter operantem; sed in tibiam motam, & deficientem, ac in organum lœsum, & infirmum.

198. E Aliud exemplum adducit Dominicus Soto in libro de natura & gratia supra citato. Licet ( inquit) scriba moveat, & applicet manum pueri ad scribendum, & ad exarandos, ac delineandos characteres; defectus tamen, ac deformitas, quæ in scriptione videtur, non attribuitur magistro moventi, & applicanti; sed discipulo defienti, & ab ejus directione, & applicatione se subtrahenti.

Tertium exemplum est de Sacerdote conserante hostiam propter fortilegium, aut aliun malum finem: ille enim physicè movetur, & applicatur à Deo ad talē consecrationem; cum ad illam instrumentaliter tātū concurrat, & instru-

## DE SCIENTIA FUTVRORVM CONTINGENTIVM. 255

mentum priusquam operetur, debeat moveri, & applicari a causa principali, ut docent Philosophi 2. Phys. & constat in instrumentis artificialibus.

Sicut ergo Deus ita movet & applicat Sacerdotem ad tales consecrationem, ut supernaturalis est, quod tamen ab illo non attingitur, nec causatur, quatenus est mala & sacrilega; sed sub hac ratione, totaliter in pravam intentionem ipsius Sacerdotis consecrantis reducitur. Ita similiter, quando Deus movet, & applicat voluntatem ad materiale peccati, ita in illo attingit entitatem, actualitatem, vitalitatem, & bonitatem transcendentalis, qua pertinent ad ordinem physicum; ut ejus motio & concursus, nullo modo se extendat ad deformitatem & malitiam moralem. Quia (ut alibi ostendemus) concursus Dei generalis praecisus est, & respicit solam rationem entis, & existentiae actualitatem, aliasque rationes ad ordinem physicum spectantes; non vero illas qua pertinent ad ordinem moralem, inter quas est malitia, & deformitas actus peccaminosi; qua proinde est extra spharam activitatis divinae, & per se primò in causam moralem, & operantem difformiter ad regulas morum reducitur.

199. Secundò responderi potest, Quod licet Deus causet materiale peccati, & prædeterminet voluntatem ad illud: non tamen propterea est causa malitiae, & deformitatis, que ad illud consequitur: quia talis malitia & deformitas, non sequitur ad materiale materialiter sumptum; sed ad materiale formaliter consideratum, & quatenus fundat ipsam malitiam, & deformitatem; sub qua ratione, non est à Deo prædeterminante, sed à voluntate humana, ut subdita regulis morum, & ut liberè, ac moraliter operante.

Hac responsio & doctrina illustrati potest ex exemplo relationis: Sicut enim ille non censetur causare relationem similitudinis, qui praecisè facit entitatem albedinis, que est ejus fundamentum materialiter sumptum; sed solum qui facit albedinem, ut in ratione specifica cum alia convenientem: ita similiter qui producit entitatem, substantiam, & bonitatem transcendentalis actus peccaminosi, non censendus est ponere fundamentum malitiae moralis; sed ille solum, qui elicit talen actum, tanquam agens morale, & cum subiectione ad regulas morum, à quibus deflectur.

200. Tertiò responderi potest, quod licet Deus prædeterminet ad materiale peccati, cum quo ipsa malitia, & deformitas habet indisolubilem nexus, non tamen propterea est causa peccati: quia (ut latè exponemus Tractatu sequenti, quando agemus de divinis prædefinitionibus) Deus nunquam determinat voluntatem ad materiale peccati, nisi ut objectivè & in genere causæ materialis, & occasionalis determinatus ab eadem voluntate; quæ ex propria malitia & deformitate, prævidetur seipsum determinatur ad formale, vel ad materiale formaliter sumptum, & quatenus fundat ipsam malitiam & deformitatem. Unde talis determinatio, & applicatio ad materiale, est à Deo veluti invito, & coacto, & solum tanquam à causa prima, & universalis provisore, qui debet subministrare omnibus causis secundis, præsertim liberis, media necessaria ad agendum, & ad attingendam in suis operationibus, & effectibus, rationem entis, & actualitatem existentiae & operationis (inter quæ media,

A unum ex præcipuis, est applicatio ad actum) & qui debet etiam permettere aliquos defectus, non solum in ordine naturali, sed etiam in ordine moralis; ut hinc magis reluceat, & manifestetur perfectio sue justitiae, & misericordie, ac pulchritudo totius universi. Licet ergo voluntatem hominis applicet ad materiale peccati, quia tamen ad hoc movertur, & determinatur ab ipsa voluntate humana, seipsum prius natura determinante ad ipsum formale, vel materiale formaliter sumptum (ut alibi latius exponemus) hinc sequitur malitiam, & deformitatem peccati, que ad illud materiale consequitur, non esse attribuendam Deo moventi, & applicant, sed voluntati, illum objectivè, & materialiter determinanti ad tales motionem, & applicationem. Ex qua responsione, & doctrina, quam Joannes à S. Thoma, & Vincentius Baronius tradunt, & probabile reputant Salmantenses in Tractatu de voluntate Dei, omnes Adversariorum impetus, totaliter infringuntur, omniaque illorum tela, & sophismata, facilime eliduntur.

C Ad primam confirmationem respondeo primo retrorando argumentum in Adversarios: peccatum enim non minus infallibiliter sequitur ad denegationem gratiae congrua, quam ad denegationem gratiae efficacis & prædeterminantis: Ergo si Deus denegando auxilium efficax, sit causa saltem moralis, & indirecta, cur homo labatur in peccatum, etiam denegando gratiam congruam, & ponendo eum in illis occasionibus & circumstantiis in quibus per scientiam medium prævidit peccatum, etiam erit causa, saltem moralis & indirecta, cui incidat in peccatum.

D Respondeo secundò, negando sequelam Majoris. Ut enim docet S. Thomas 1. 2. quest. 79. art. 1. Deus peccati causa (etiam indirecta) dici non potest, nec debet. Quia tametsi aliquibus non prebeat auxilium, quod si præberet, non peccarent, hoc totum facit, secundum ordinem sine sapientia, & justitia; cum ipse sit sapientia, & justitia: unde non imputatur ei quod alius peccet, sicut causa peccati. Sicut gubernator non dicitur causa submersio navis, ex hoc quod non gubernat navem: nisi quando subtrahit gubernationem,

E potens & debens gubernare. Quibus verbis clarissimè docet, quod licet Deus subtrahat, & deneget homini auxilium speciale, ad cuius denegationem infallibiliter peccatum consequitur, non tamen propterea illud debet, vel potest Deo imputari, tanquam causa, etiam indirecta, & per accidens; quia auxilium illud speciale, homini non teneret concedere: ut autem id quod sequitur ad defectum actionis, alteri imputetur, tria requiruntur: scilicet quod possit, & debeat agere, & non agat; ut tradit idem S. Doctor 1. 2. quest. 6. art. 3. in corpore, his verbis. Non semper id quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit: sed solum tunc cum potest, & debeat agere. Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, que per absentiam gubernatoris continget.

F Eandem doctrinam tradit 1. parte quest. 49. art. 2. ubi tertio loco sibi objicit simile argumentum ei quod nobis opponunt Adversarij. Sic enim habet: Sicut dicitur in 2. Phys. Idem est causa salutis navis & periculi: Sed Deus est causa salutis omnium rerum: Ergo ipse est causa omnis perditionis & mali. Cui argumento sic responderet.

K x. ij

Tom. I.

*Ad tertium dicendum, quod submersio navis attribuitur nante ut causa; ex eo quod non agit quod requiritur ad salutem navis. Sed Deus non deficit ab agendo quod est necessarium ad salutem: unde non est simile.* Quam responcionem egregie illustrat Caietanus ibidem, his verbis. *Adverte quod ructantum absentia causa agentis, dicitur causa defectus, quando debebatur presentia; & propterea quia nunquam cum rebus debetur, Deus subtrahit influxum, ideo non sequitur, propriè loquendo, quod Deus sit causa defectum, ex hoc solo quod non facit: quamvis quandoque Scriptura ipsum tali modo causam appelleat, ut patet circa indurationem Pharaonis.*

203.

Ad secundam confirmationem patet responsio ex dictis in praecedenti: licet enim illud axioma, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, verum habeat in ordine physico, & in causis naturalibus, non tamen semper verificatur in ordine morali, & in causis liberis, & moraliter operantibus, ut constat in exemplo adducto gubernationis navis: quamvis enim ejus directio & gubernatio sit causa salutis navis, illius tamen defectus & carentia, non censeretur esse causa submersionis illius, quando est purè negativa, sed solum quando est privativa; id est quando subtrahit gubernationem, potens & debens gubernare, ut loquitur D. Thomas supra related. Unde cùm carentia auxiliij efficacia, quatenus se tenet ex parte Dei, non sit privativa, sed purè negativa, eò quod auxilia efficacia & specialia nemini dare teneatur, illa non est causa peccati, nec deviationis à recta ratione: quamvis ejus collatio sit causa salutis, & boni usū liberi arbitrij.

204.

Secundò responderi potest, quod quando affirmatio est causa ad quata & totalis affirmationis, negatio est etiam causa negationis: fécis autem si non sit causa totalis, nec operatur sine conformato alterius; ut patet in defectu floritionis vel fructificationis in arbore, qui non in Solem, sed in defectum virtutis generativa plantæ reducitur; quia Sol non est sola & totalis causa floritionis D aut fructificationis arboris, sed illa pariter cum eo influit, eisque cooperatur. Ita similiter, quia gratia efficax & prædeterminans, non est causa totalis (saltem totalitate causæ) bonorum nostrorum operum, nec operatur sola, sed una cum voluntate creata; quæ ipsi cooperatur: defectus morales, qui in humanis operationibus continentur, non in carentiam & defectum ipsius gratia, sed in vitium & deordinationem voluntatis humanæ, deficientis & operantis disformiter ad regulas morum, reducendi sunt.

## §. IV.

*Quorundam Recentiorum argumentum diluitur.*

205.

**O**biciunt insuper quidam Recentiores, decreta illud permissivum, in quo Thomistæ docent fundari præscientiam futurorum, esse titulum sine re, & speciosum subterfugium; cùm, posito decreto prædeterminante voluntatem ad materiale peccati, non possit non sequi ipsa malitia & deformitas. Unde sicut ille qui applicaret ignem stupæ, vel qui amputaret caput homini, ineptè diceretur permittre ejus mortem, vel stupæ combustionem, quæ ex tali applicatione, & abscissione, capitum necessario sequuntur: ita in sententia Thomistarum, ineptè Deus dicitur habere decretum permittendi peccatum, cùm præ-

A determinet ad materiale illius, ex quo non potest non exurgere, & non progerminare ejus malitia ac deformitas.

Respondeo hoc argumentum esse titulum sine re, ac speciosum sophisma, quod in apparentia aliquid difficultatis præ se fert, nullam tamen re ipsa continet. Ut enim Deus censemur permittere malitiam & deformitatem peccati, cuius materiale prædefinit & prædeterminat, sufficit quod stante tali prædefinitione & prædeterminatione, homo retineat potentiam antecedentem ad non peccandum, & possit in sensu diviso non elicere illum actum ad quem prædeterminatur, & à quo malitia (ut supponitur) est inseparabilis. Sicut in sententia Adversariorum, licet Deus ponat hominem in illis circumstantiis & occasionibus, in quibus prævidit per scientiam medium illum peccatum, & in quibus non potest non peccare, in sensu composito, & potentia consequenti (alias, ut sepe diximus, divina præscientia fallicheretur) nihilominus, quia prout subest illis occasionibus & circumstantiis, potentia antecedenti, & in sensu diviso, potest non peccare, & non ponere illum actum; Deus censemur permettere tantum, & non velle malitiam peccati. Unde ad exempla adducta, multiplex potest assignari disparitas.

Prima est, quia combustio stupæ, & mors hominis, consequuntur per se & ex natura rei, ad applicationem ignis, vel abscissionem capitis, quatenus sunt ab homine applicante, aut vulnus lethale infligente. Malitia autem & deformitas peccati (ut supra diximus) non consequitur ad materiale illius, in quantum est à Deo, ut prima causa efficiente, sed quatenus est à voluntate, ut prima causa deficiente, & operante disformiter ad regulas morum.

Secundò, In igne a plicato, & in homine lethali vulnerato, remanet potentia antecedens, & in sensu uno, ad non comburendum, vel ad non moriendum: in homine vero prædeterminato ad materiale peccati, remanet potentia antecedens, ad non ponendum illud materiale, & a fortiori ipsum formale, ipsamque malitiam, ac deformitatem, quæ ad illud consequitur.

Tertiò, Ad applicationem ignis, & inflictionem vulneris lethalis, sequitur mors & combustio stupæ, consecutione physica & caualitatis; quia illa per se, & directè influit in tales effectus: malitia vero, & deformitas peccati, non sequitur ad denegationem auxilij efficacis, & ad decretum permissivum, consecutione physica, & caualitatis, sed consecutione tantum logicâ, & illationis: quia illa non directè influit in actum malum, sed se habet tantum tanquam removens prohibens, ut antea expofuimus.

Quartò, Ille cui caput absinditur, aut vulnus lethale infligitur, non determinat, nec moverit percussorem, ut ei caput amputet, aut eum lethali vulneret: voluntas autem humana (ut supra diximus) objectivè & materialiter moverit, & determinat Deum, ut cum illa concurrat ad materiale peccati; eamque applicet ad producendam in illo rationem entis, & actualitatem existentia & operationis, aliasque rationes pertinentes ad ordinem physicum, & divinæ omnipotentiae per se primò correspondentes.

Demum inflictio vulneris lethalis procedit à percussore, tanquam à causa particulari, & operante moraliter, & cum subjectione ad regulas

## DE SCIENTIA FUTVRORVM CONTINGENTIVM. 257

*Diss. 8.  
art. 4.*  
morum. Prædeterminatio verò ad materiale peccati, est à Deo solum tanquam à causa prima, & universalissima, ac generali provisore, subministrante causis secundis, tam liberis quam necessariis, media necessaria ad agendum. De quo plura in Tractatu de voluntate Dei.

### ARTICVLVS VII.

*An futura contingentia absoluta, sunt praesentia scientiae Dei æternæ, objectivæ tantum, an etiam realiter?*

**C**Vm S. Thomas art. 13, hujus questionis, Cagens de scientia Dei, & cognitione quam habet de futuris contingentibus, doceat futura contingentia, ab eo certò & distinctè cognosci, quia ejus æternitati sunt actu præsentia: quā præsentia, an objectivæ tantum, & intentionalis; an etiam physicæ, & reali? controvertitur inter Theologos, præsertim inter Thomistas, & Recentiores. Quod ut magis declaretur, & status hujus celebris difficultatis clarius percipiatur, quadam breviter hic præmittenda sunt. Unde sit

#### §. I.

*Quibusdam premissis referuntur sententia, & vera eligitur.*

**208.** **N**otandum primò. Quod sicut in rebus creatis duplex distingui solet à Philosophis præsentia, una realis & physica, quam habent quando producuntur & ponuntur extra suas causas. Altera intentionalis, & objectiva, quam habent in mente cognoscentes: habet enim omnis cognitionis, quod sit objecti sui repræsentatio, ipsumque, quatenus quedam est ejus similitudo, potentia cognoscendi quodammodo sistat, & præfens efficiat. Ita etiam duplex potest distingui in scientia Dei præsentia, respectu futurorum contingentium. Una ei soli propria, quatenus est viva, clara, & intuitiva sui objecti similitudo, ac repræsentatio. Altera ei conveniens ratione æternitatis, quæ ob suam infinitatem, ad illa virtualiter se coextendat, eaque in sinu suo vastissimo, ac infinito, contineat & complectatur; ita quod si per impossibile Deus non haberet futura contingentia in sua præscientia & cognitione præsentia, videret tamen illa præsentia in sua æternitate. Inquirimus ergo, an utroque modo Deus habeat futura contingentia sibi ab æterno præsentia, an verò solum primo?

**209.** Notandum secundò: Præsentiam realem & physicam futurorum contingentium in æternitate, tribus modis posse concepi, vel imaginari. Primò per quandam anticipatam illorum productionem in æternitate, distinctam ab illa quā producuntur in tempore: ita ut Antichristus v. g. concipiatur ut præsens in æternitate, quia in illa jam productus est, & positus extra suas causas. Secundo per coextensionem ipsius rei temporalis ad totam æternitatem, eo ferè modo, quo illi coextenderetur tempus infinitum, si daretur. Tertiò per coextensionem ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua futura contingentia aliquando existent, & sicut præsentia. Certum est de fide, futura contingentia non esse Deo realiter & physicæ præsentia primo & secundo modo, cùm Scriptura testetur omnia incepisse in tempore, & nihil esse productum ab

æterno. Unde solum difficultas & controversia est de tertio modo, per coextensionem scilicet ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis futuri, in qua Antichristus v. g. producetur. Queritur ergo, an æternitas expectare debeat ipsam existentiam, transitum, & fluxum rerum temporalium, ut illas in se contineat, & mensuraret: eo ferè modo quo pons in medio fluminis existens, vel arbor ad ripam illius plantata, expectat ipsum transitum, & fluxum aquæ, ad hoc ut illam possideat, vel mensureat: an verò illa ratione sua infinitatis virtualiter coextendat, non solum ad res præsentes, sed etiam ad præteritas & futuras; nec expectet quod illæ actū existant in propria mensura, ut illas complectatur, & mensuraret; sed præveniat, & præoccupet, ratione sue extensionis infinitæ, illarum præsentiam, & existentiam temporalem; & ratione sue indivisibilitatis, modo quodam indivisibili & immutabili ex parte sui, eas contineat; tota successione, & mutatione ex parte rerum temporalium se tenente? In qua difficultate, quæ ut constat, non est de solo nomine, aut de modo loquendi (ut quidam existimant) duæ sunt sententiaz extremitate oppositæ.

**210.** Prima absolute negat futura contingentia ab æterne esse Deo physicæ & realiter præsentia, ratione sue æternitatis, sed objectivæ tantum, & intentionaliter, ratione divinæ præscientie & cognitionis. Ita tenent Durandus, Scorus, Egidius Romanus, & Herveus: quos sequuntur Suarez, Vazquez, Alarcon, & alij Recentiores, paucis exceptis.

Secunda ex opposito docet quod licet res omnes creatae, in tempore, & in propria duratione incipient existere, ac proinde in illa physicæ ab eterno Deo non coexistant; in eternitate tamen illi ab æterno coexistunt physicæ, & realiter, & non solum objectivæ, & intentionaliter; quatenus æternitas, ratione sue infinitatis & indivisibilitatis, eas ambit & continet in uno nunc indivisibili, virtualiter correspondente illi differentia temporis, in qua res producuntur & existunt. Ita, præter Thomistas, docent Ricardus in 1. dist. 38. Abulensis in cap. 11. Iosue quest. 20. & sequentibus; & ex Recentioribus Molina h̄c disp. 13. Fonseca 6. Metaph. cap. 2. Granado Tract. 4. de Scientia Dei disp. 3. Ruizius disp. 28. fect. 3. & novissimè Claudius Typhanus in lib. de Ordine cap. 19. contra quos acriter stomachatur Alarcon, eò quod, cùm alij Theologi ejusdem Societatis, nihil magis horreant, quām hanc realē præsentiam rerum in eternitate, hi tamen illam admittant, & in castra veluti transeant aliena.

**211.** Dico igitur: Futura omnia contingentia, esse Deo ab æterno præsentia; non solum objectivæ, ratione sua præsentia, sed etiam realiter & physicæ, ratione sua æternitatis. Hæc conclusio, quatuor firmissimis, ac solidissimis nititur fundamentis. Primum sumitur ex autoritate Sanctorum Patrum. Secundum ex testimonio Sancti Thomæ. Tertium ex excellencia divina æternitatis. Quartum ex perfectione divinæ scientie, & ex ejus intuitione, ac invariabilitate. Tria prima hic exponemus, quartum constabit ex dicendis articulo sequenti.

*Tom. I.*

K x iij